UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S. Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VII. Vtrum ex baptizati requiratur intentio suscipiendi Sacramentum baptismi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94249

Visual Library

Christi, baptizandus non debet habere voluntatem repugnantem Christi legi.

Articvlvs V.

Vtrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria?

36.

Resp. neg. *Florent. Trident.*

Respondet negatiuè. quæ doctrina certa est ex Concil. Flor. decreto de Sacramentis, & ex Trid. sess. 14. cap. 2. & 8. ex quibus locis constat in baptismo non solùm deleri culpã, sed etiam remitti omnem pœnam apud Deum peccatis debitam. cuius rei primaria ratio est Christi institutio; congruentia verò est quòd per baptismum commoriamur Christo, & quòd spiritualiter nascamur, & proinde deceat in eo non solùm remitti culpam, sed etiam totam pœnam.

Non possunt ab Ecclesia imponi opera satisfactoria baptizato; imò nec ab eo assumi ad satisfaciendum.

Ex quo sequitur quòd non tantùm non possint iniungi ab Ecclesia opera satisfactoria baptizato ad satisfaciendum pro peccato, sed etiam quòd ne quidem possint ad hunc finem assumi. iniuriam enim faceret baptismo & passioni Christi iudicans suo facto per baptismum non obtineri plenam remissionem pœnæ peccatis debitæ, & Christi passionem nõ plenè applicari baptismo ad perfectam pœnarum remissionem.

Dixi, *ad satisfaciendum*, quia ad alios fines bene possunt consuli opera pœnalia, vel alia, vel etiam iniungi si iudicetur necessarium: vt si baptizandus alios iniuria affecerit, moneri debet vt satisfaciat pro huiusmodi iniuria, quia sine voluntate satisfaciendi non potest gratiam baptismi cõsequi. idem est iudicium de alijs restitutionibus. 2. possunt iniungi si iudicetur necessarium ad immoderatos animi motus & prauos affectus refrænandos: possunt etiam consuli vt assumantur ad excitandam deuotionem, & ad similes fines.

Articvlvs VI.

Vtrum peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri?

Notandvm ex D. Th. confessionem posse fieri Deo vel homini, & eam quæ fit homini posse fieri ei tanquam Dei ministro in Sacramento pœnitentiæ, vel extra illud Sacramentum. hoc præmisso

Resp.

Respondet 1. necesse esse peccatorem ante baptismum sua peccata Deo cõfiteri. Ratio est quòd vt peccator (qui scilicet actualia commisit) remissionem peccatorum per baptismum recipiat, aliquem de illis dolorem debeat concipere, vnde debet ea recogitare, vbi obiter

Non tenetur peccator ante baptismu singula peccata, etiam mortalia in memoriam reuocare.

Aduerte quòd non teneatur ante baptismum singula peccata etiam mortalia in memoriam reuocare, quia id non requiritur ad concipiendum de illis dolorem, sed solùm requiritur in ordine ad confessionem sacramentalem. nam constat peccatorem cõsideratis peccatis tantùm in genere posse excitari ad eorum detestationem. interior ergo confessio eatenus necessaria est ante baptismum, quatenus aliqua exigitur de ijs pœnitentia, & per consequens confusa eorum recordatio sufficit.

Respondet 2. nullo modo præmittendam esse confessionem sacramentalem, quia baptismus est ianua Sacramentorũ, ante quem homo est aliorum Sacramentorum incapax, & proinde etiam Sacramenti pœnitentiæ. neque potest à peccatis ante baptismum commissis per sacerdotẽ absolui. ex quo patet hęc peccata ne quidem post receptum baptismum debere subijci clauibus Ecclesiæ, cùm non sint materia Sacramenti pœnitentiæ.

Non potest quis à sacerdote absolui post baptismum de cõmissis ante baptismum.

Respondet 3. peccatorem baptizandum posse sua peccata confiteri, non quidem ad beneficium absolutionis obtinendum, sed ad recipiendam instructionem contra illa, vt videlicet remedia contra prauos animi motus, contra proximas peccatorum occasiones tradantur, vel vt declaretur obligatio restitutionis si quæ sit facienda, & de tali confessione sunt intelligendi varij Patres qui faciunt mentionem confessionis ante baptismum. vbi tamen

Explicatur PP. qui videntur cõfessionem ante baptismum requirere.

Aduerte eam non necessariò præmittẽdam, quia nullibi extat præceptum de tali confessione baptismo præmittenda, neque etiam ea necessitas potest colligi ex obligatione relinquendi proximas occasiones, vel ex præcepto restituendi, quia potest aliquis aliunde habere horum notitiam. solùm ergo est consilij conscientiam suam aperire ad instructionem spiritualem recipiendam.

Articvlvs VII.

Vtrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi Sacramentum baptismi?

37.

Notandvm hunc articulum sicut & tres præcedentes intelligi de adultis, de quibus tres sunt sententiæ. *Tres sententiæ.*

Prima est eorum qui existimarunt baptismum validè suscipi, si sacramentalis actio exerceatur circa aliquem, quamuis ille sit planè inuitus & corde dissentiat, vt refert Innocẽtius 3. cap. *maiores. §. item quæritur*, de baptismo & eius effectu. Prima. Cap. *Maiores.*

Secunda est Caiet. hîc existimantis ad valorem baptismi non requiri consensum suscipientis, sed sufficere vt non habeat voluntatem contrariam. Secunda. *Caiet.*

Tertia tenet etiam ad ipsius baptismi substantiam & valorem requiri intentionem & consensum in recipiente. ita D. Th. hîc & communiter Theologi. quæ sententia ita vera est, vt aliæ nullo modo possint sustineri. videri possunt dicta quæst. 64. art. vltimo dub. 3. quæ hîc possunt applicari. Tertia. *D. Thom.*

Resolutio affirm.

Aduerte 1. hunc consensum non tantùm debere referri in actionem sumptã materialiter, sed etiam prout habet rationem mysticæ & sacramentalis actionis. nam ad hoc vt quis baptismum recipiat, non sufficit quòd velit se aqua aspergi, cum verborum prolatione, ibi sistendo, sed requiritur, vt saltem confusè idipsum velit, prout est cæremonia quædam sacra, v.g. quòd velit cæremoniam christianorum recipere, vel quòd velit recipere remedium contra peccatum &c.

Consensus ferri debet in actionem vt sacramentalem.

Aduerte 2. hunc consensum in recipiente requisitum non debere necessariò esse formalem seu actualem dum Sacramentum ipsum recipitur, immò neque debere necessariò esse virtualem, sicut debet esse in ministro. patet ex c. *maiores* citato, ex quo constat dormientes posse baptizari, quos certum est non posse habere intentionem virtualem dum ministratur eis baptismus; sufficit ergo consensus interpretatiuus seu habitualis ex actuali relictus, qui in hoc consistit quòd aliquis voluerit

Sufficit consensus interpretatiuus, seu habitualis ex actuali relictus.

baptizari,

baptizari, nec voluntatem retractarit; talis enim censetur moraliter & interpretatiuè velle baptismum: ad hoc autem vt baptismus valeat, ea sola voluntas requiritur in recipiente, quæ sufficit vt baptismus censeatur voluntariè ab eo recipi.

Hinc sequitur quòd si vrgeat necessitas, baptismus conferri possit amenti vel dormienti, qui eum desiderauit antequam in amentiam incideret, vel dormiret, si non aduertatur voluntatem retractasse, vel posuisse obicem effectui Sacramenti per peccatum mortale: quòd si non vrgeat necessitas & speretur rationis vsus recuperandus, is est expectandus propter maiorem Sacramenti reuerentiam.

Petes vtrùm sufficiat consensus interpretatiuus in eo consistens quòd homo moraliter bene viuat?

Resp. non videri sufficere, quia homo moraliter bene viuendo non censetur eo ipso velle suscipere statum supernaturalem, & legem Christi amplecti, quia is qui sequitur solum ductũ rationis naturalis, neque potest dici velle baptismum, quòd illum formaliter in se desideret, vt patet; neque quòd censeatur versari in aliquo, cum quo baptismus moralem habeat connexionem; ergo talis non censetur interpretatiuè velle baptismum.

Confir. cap. *maiores* citato videtur requiri quòd aliquis habuerit propositum baptismi suscipiendi; vnde videtur requiri vt præcesserit actuale desiderium baptismi recipiendi, ad hoc vt aliquis dicatur habere interpretatiuam voluntatem recipiendi baptismum. nec est simile quod suprà diximus de extrema vnctione, scilicet illam posse conferri ei qui laudabiliter vixit, quamuis illam non petierit antequam in amentiam incideret, non est inquam simile, quia homo baptizatus seruando Christi legem seu viuendo secũdum legem Christianorum, censetur moraliter velle sibi adhiberi media salutis in ea lege ordinaria, homo verò non baptizatus bene viuendo intra limites legis naturæ, non censetur eo ipso velle assumere aliam legem longè sublimiorem, & quæ varia præcepta vltra præcepta legis naturæ complectitur.

Aduerte 3. ad substantiam baptismi sufficere consensum etiam metu extortum, vt patet ex cap. *maiores* citato, & ex can. 55. Concil. Toletani 4. Ratio est quòd cum tali metu consistat absoluta voluntas baptismi recipiendi, vnde ex parte recipientis nihil deest ad Sacramenti substantiam. de hoc inuoluntario potest intelligi quod docet August. tract. 26. in Ioan. posse aliquem recipere Sacramentum nolentem; non enim vult omnino contradicentem posse validè baptizari, sed eum qui vi compulsus vult Sacramentum suscipere. quamquam & August. possit intelligi quòd ipsa actio externa possit exerceri circa omnino nolentem, licet non in ratione Sacramenti.

Hinc sequitur quòd qui metu mortis baptismum suscepit, teneatur seruare fidem & iuxta leges Christianorum viuere, atque adeò ad id possit cogi, vt patet ex can. 55. citato, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam suscepit contemptilis habeatur, vt ibidem dicitur.

Obijcies quòd iniuria non possit solidum ius alteri tribuere & obligationem perfectam inducere, cùm ergo in tali casu intercedat iniuria, hoc modo baptizatus non potest adigi ad seruandas Christianorum leges.

Resp. neg. consequentiam, quia talis vt ostensum est, verum suscepit baptismum, & intrauit in Christi familiam eiusque indelebili charactere est insignitus; ergo licet spectatâ solâ iniuriâ ab alio illatâ obligatio perfecta oriri non possit, ratione tamen baptismi recepti & indelebilis characteris, non minùs perfectè obligatur, quàm alij, qui sine vllo metu baptismum susceperunt.

Pro sententia Caiet. obijci potest Innocentius 3. cap. *maiores* citato, dicens: *tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem*; igitur ad valorem Sacramenti sufficit vt voluntas non repugnet. Cap. *Maiores.*

Resp. neg. consequentiam, quia Pontifex apertè loquitur de his qui antea voluerunt baptismum recipere, quos censet posse baptizari, quia ex quo baptismum desiderarunt & consensum non retractarunt contrariâ voluntate, censentur moraliter in eo permanere. non vult ergo sufficere nõ dissensum quomodocumque spectatum, sed solùm non requiri actualem consensum quando baptismus confertur. Pontifex tãtùm vult non requiri actualem cõsensum.

Articvlvs VIII.

Vtrum fides requiratur ex parte baptizati?

Hic etiam articulus intelligitur de adultis; satis enim cõstat paruulos ante baptismum non posse habere actum vel habitum fidei.

Notandum verò fidem sanam & catholicam, de qua in titulo quæritur, posse concipi requiri vel ad substantiam & valorem baptismi, ita vt adultus sine tali fide non possit validè baptismum recipere, vel ad effectum baptismi comparandum, scilicet gratiam sanctificantem.

Respondet 1. ad effectum gratiæ comparandum per baptismum fides in adulto est necessaria, cùm constet fidem esse radicem & fundamentum iustificationis, vt patet ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. sine qua impossibile est placere Deo, vt docet Apostolus ad Hebræos 11. Resp. Fides in adulto requiritur ad effectum baptismi. *Trident. Hebr. 11.*

Respondet 2. sanam fidem ex parte recipientis non esse necessariam ad valorem baptismi; patet ex praxi Ecclesiæ, quæ non curat rebaptizari eos qui in hæresi baptismum receperunt. idem plurimis locis tradit August. & passim supponunt Patres. Ratio est quòd cum hæresi & errore quo existimetur baptismum nihil prodesse ad salutem, immò esse merum figmentum, possit consistere voluntas illum recipiendi seu recipiendi cæremoniam quam passim vsurpant Christiani; ergo non obstante errore particulari potest inueniri voluntas saltem confusa Sacramentum recipiendi, & proinde quantum est ex parte baptizandi possunt inueniri necessaria ad valorem baptismi etiamsi recta fide careat. Non ad valorem. *August.* Cum hæresi potest esse voluntas recipiendi baptismũ.

Ex hoc sequitur multò minùs requiri ad valorem baptismi sufficientem notitiam rerum fidei, quod etiam constat ex praxi Ecclesiæ, in qua non rebaptizatur is qui deprehenditur fuisse minùs instructus in rebus fidei cùm baptismum reciperet.

Articvlvs IX.

Vtrum pueri sint baptizandi?

Affirmat. Resp. affir. 39.

Notandum 1. nullo modo posse baptizari fœtum ex vtero materno eductum, si constet esse mor-